

751. Q. I. An peccet Sacerdos, qui sine debita scientia suscipit munus audiendi confessiones? R. Peccat graviter, tum quia quilibet tenetur habere scientiam officii, quod suscipit a se exercendum, praesertim erga alios, tum quia sine debita scientia talis se exponit manifesto periculo male fungendi hoc grandi munere cum injuria Sacramenti et detrimento animarum, imo et frequenter cum damno tertii. *Vae vobis duces caeci!* Matth. 23. *Suar.* hic d. 28. sect. 2. n. 6.

752. Q. II. Quanam scientia requiratur in Confessario? R. Juxta *Rit. Rom.* Imprimis meminerit Confessarius, se *judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae justitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines honori divino, et animarum saluti consulat.* De scientia spiritualis judicis vide Decret. P. 2. caus. 33. q. 6. c. 1. Ad validam absolutionem, teste *Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 1. juxta omnes requiratur, ut sciat proferre absolutionem, et cognoscere regulariter moralem actum, saltem sub communi ratione peccati; alias etiam absolvat illum, qui nullum peccatum, sed sola opera bona confitetur.

753. Q. III. Quae specialis scientia requiratur in Confessario, ut rite triplici officio doctoris, judicis et medici fungatur? R. *Primo:* Qua *Doctor* scire debet 1. necessaria necessitate medii et praecepti; 2. motiva fidei, spei, charitatis, attritionis et contritionis; 3. obligationes variorum status poenitentium. Huc pertinet cognitio propositionum damnatarum. Vide *P. Gerard. Zetl* P. II., ubi c. 1. agit fusa de triplici obligatione Confessarii qua Doctoris, scil. poenitentes admonendi, instruendi in actibus necessariis, et dirigendi eorum conscientias in actibus moralibus.

754. R. *Secundo*, qua *Judex*, ut ait *Suar.* hic d. 28. sect. 2. n. 2., sciat 1. discernere peccatum, et an veniale sit, an mortale, quanam peccata specie differant, non quidem secundum exactam speculationem, sed ut communi et ordinario modo de his valeat ferre judicium: hinc necesse est, ut sciat praecepta Dei et Ecclesiae, et quanam contra illa regulariter sint peccata gravia aut levia. 2. Sciat quid necessarium sit, ut poenitens sit sufficienter dispositus ad absolutionem, adeoque nosse debet partes et requisita poenitentiae, ut non tantum cognoscat, quae sint de substantia poenitentiae, sed etiam an poenitens sit dignus absolutione, quia non solum debet Sacramentum facere validum, sed etiam non dare sanctum canibus: huc pertinet notitia de consuetudinariis, constitutis in occasione proxima etc. 3. Consequenter etiam eum nosse oportet, quando ex peccato oriatur obligatio restitutionis, quanam conditiones contractuum, impedimenta matrimonii etc., ut satisfactionem, vel ejus saltem propositum serium a poenitente requirat etc. 4. Scire debet casus reservatos, ut sciat quos poenitentes possit, et quos non possit absolvere. 5. Scire oportet excommunicationes, quae ipso facto incurruntur; quia prius ab his debet absolvere, quam a peccatis. *Ibid.* n. 4. addit *Suar.* cum *Cajet.* et aliis, *non semper oportere ut confessor per se ipsum possit haec omnia scil. singula in singulis casibus ex tempore, ut ajunt, discernere, sed satis esse, ut intelligat ea, quae frequentius accidunt, et de aliis dubitare sciat...* Nam si dubitat, potest legendo vel alios consulendo semper in particulari scire, quod oportuerit, nec possumus majorem obligationem imponere; alias vix aliquis erit, qui possit confessiones audire. De potestate, bonitate et scientia Confessarii qua judicis prolixè agit laudatus *P. Gerard. Zetl* P. I. Confessarii tam Saecularis, quam Regularis, c. 1. 2. et 3. *ibid.* c. 4. de obligationibus ejusdem Judicis, scil. 1. de obligatione audiendi confessiones; 2. examinandi et interrogandi poenitentes; 3. audita judicandi; 4. imponendi poenitentiam; 5. declarandi et injugendi ea, ad

quae poenitens in conscientia tenetur; 6. absolvendi; 7. stricte servandi sigillum confessionis etc.

755. R. *Tertio*, qua *Medicus* nosse debet morbos animae, peccatorum causas, pericula et medicinas: quales pro his vel illis peccatis injugendae sint poenitentiae; qua ratione dirigendus sit poenitens; quomodo confirmandus in bono etc.

756. Praeter scientiam opus est Confessario insigni prudentia, vi cujus congrua media applicet ad finem sui officii consequendum, qui est peccatoris vitia curare, et a committendis eum praeservare. *Dux indigens prudentia multos opprimet.* Prov. 28. 16. Absque prudentia zelus erit minus efficax, minus utilis, et valde periculosus, ut ait *S. Bern.* serm. 49. in Cant. Ad opportunam directionem Confessarii breviter hic lubet proponere monita, e quibus neo-Sacerdos facilem methodum fructuose excipiendi confessiones sibi comparabit.

Observanda ante administrationem Sacram. Poenitentiae.

757. I. Ne Confessarius taedium officii sui valde laboriosi concipiat, foveat in animo magnam ejus aestimationem. 1. Recogitet, quanta sit dignitas hujus officii in tali causa, quae ad forum Dei pertinet; cui Angelorum unquam dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* 2. Perpendat, quanti sit meriti labor et munus Confessarii: exercentur hic opera misericordiae: docet enim Confessor ignorantes, dubitantibus bene consulit etc. imo et mortuos spiritualiter ad vitam revocat: accedit meritum insignis patientiae, mansuetudinis et charitatis; quo denique graviores sunt molestiae, quas causant poenitentes rudes, indurati, refractarii etc., eo plus meriti exinde sibi comparabit Sacerdos, si ex sincero zelo divinae gloriae, et salutis animarum munus suum obeat.

758. II. Ingressurus confessionale praemittat actus variarum virtutum fidei, spei, charitatis tum Dei, tum proximi, contritionis, bonae intentionis hoc vel simili modo: *Omnipotens sempiternus Deus, ego indignus servus et minister tuus volo nunc administrare Sacramentum poenitentiae, sicut Christus Dominus ac Salvator noster instituit, et juxta ritum Sanctae Ecclesiae Catholicae, idque ad majorem honorem et gloriam tuam, ex amore tui, o Summum Bonum, et charitate proximi. Peto ad hoc tuam gratiam, ut digne fungar hoc officio, ut iniquos doceam vias tuas, et errantes in via iniquitatis reducam ad semitas justitiae tuae: cor mundum crea in me Deus, ne cum alios mundavero, ipse sordescam et reprobus efficiar.* Intentionem prolixiorè vide apud *P. Herzig* in Manuali Confess. p. 2. c. 1.

Observanda sub ipsa administratione Sacramenti Poenitentiae.

759. I. Confessarius *primo* sit mansuetus, ne deterreat poenitentem; si tamen hic videatur durae cervicis esse, increpet opportune, importune, in omni tamen patientia. *Secundo*, sit prudens in interrogando, adhortando, et praescribendo remedia; praesertim in materia contra sextum sollicite caveat, ne indiscretis interrogationibus poenitentem praesertim alterius sexus et se ipsum scandalizet: praestat in ejusmodi examine (si videatur necessarium) a levioribus progredi ad graviora, v. g. a peccatis mentis ad peccata oris, cum maxima cautela, ne poenitens mala, quae ignorat, doceatur cum periculo ea deinde perpetrandi.

760. II. Confessarius poenitentem ordinarie non objurget nisi finita confessione, neque interrumpat confessionem, nisi ea longior sit, aut necessitas postulet ad aliquid rite intelligendum. Hinc *Rituale Rom.* tradit sequentem regulam; *Audita confessione Confessarius perpendens pecca-*

torum . . . magnitudinem, et multitudinem pro eorum gravitate ac poenitentis conditione opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, adhibebit, et ad dolorem ac contritionem efficacibus verbis adducere conabitur etc. Si tamen poenitens incipiat aliorum peccata detegere, mox moneatur, ut sua confiteatur, et de alienis sileat, ne detrahendo novum committat peccatum. Item si impertinentia immisceat, et velut historiam contextat, abrumpatur filum garrulitatis, monendo satis esse, si sua peccata quoad numerum et speciem confiteatur.

761. III. De adultis quidem, quos Confessarius caeteroquin bene instructos esse advertit, ordinarie praesumi prudenter potest, quod sint bene dispositi, et quod seria confessio sit sufficiens doloris signum; expedit tamen, eos excitare, ut dolorem renovent; pueros autem et rudiores semper praestat interrogare, an et cur doleant de peccatis. Habeat Confessarius in promptu motiva doloris supernaturalis. Quos judicat magis proclives ad bonum, vel timidiores, primo excitet ad dolorem per considerationem beneficiorum a Deo acceptorum, duriores vero per considerationem poenarum.

762. IV. Juxta *P. Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 3. Confessarius tenetur admonere poenitentem de ejus erroribus, I. si error seu ignorantia sit *culpabilis*; quia quamdiu talis ignorantia perseverat, poenitens est indispositus, eo quod ipsa sit peccatum. Item tenetur corrigere errorem, si poenitens putet, hoc vel illud sibi esse illicitum, quod ei re ipsa est licitum, quia hic error est poenitenti perniciosus, et causa peccati. II. Si vero error aut ignorantia sit inculpabilis, tunc docendus est poenitens, 1. si exinde sequatur grave malum, vel scandalum publicum; 2. si error vergat in damnum injustum proximi; 3. si ex errore sequatur malum occultum inculpabiliter ignotum, v. g. si matrimonium suum putet esse validum, et tale publice habeatur, quod tamen Confessarius ob impedimentum occultum cognoscit esse invalidum, tunc debet monere, quando monitio videtur profutura, nec ex ea scandalum publicum sequitur. Secus si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale poenitentis vel grave scandalum et damnum innocentibus, v. g. filiis; tunc enim differenda est monitio, donec periculum esset, et petatur interim dispensatio. Vide c. 6. de consang. et affinit. ubi *Innocent. III.* similiter respondet. Vide P. I. n. 21.

763. V. Juxta *P. Polancum* in directorio c. 1. Confessarius ita sit compositus exterius et interius, ut nihil videatur in vultu, et gestibus vel motibus, vel etiam in vestitu, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, et qui meminit, se locum Dei tenere. Caveat, ne dum poenitens enorme peccatum confitetur, ipse det signum indignationis, quia ex eo saepe deterrentur poenitentes ab exponendis aliis forte adhuc gravioribus.

764. VI. Confessarius tunc tenetur examinare poenitentem, si prudenter judicet, vel dubitet, non sufficienter declarari peccata circa speciem, ac numerum. *Ratio* est, quia integritas confessionis est necessaria ad hoc, ut capax sit homo absolutionis; ergo priusquam Sacerdos absolvat, tenebitur probabiliter judicare, poenitentem integre esse confessum: ergo si hoc non judicet absque sua interrogatione, tenetur interrogare. *Suar.* de poenit. d. 32. sect. 3. n. 3. *ibid.* n. 7. resolvit, Confessarium, si ei constet aliunde, quod poenitens aliquod peccatum omittat, teneri per se loquendo interrogare, eo quod teneatur curare, ut iudicium hoc integre fiat. Caeteroquin observanda est communis regula, in hoc foro credendum esse poenitenti, tam pro se, quam contra se loquenti.

765. VII. Si dubia graviora circa valorem contractuum, votorum, aut matrimonii occurrant, non erubescat Confessarius differre resolutionem

usque ad proximam confessionem, ne et seipsum, et confitentem exponat gravissimi erroris periculo.

766. VIII. Confessarius puerorum et puellarum tenerioris aetatis *primo* advertat, an sufficienti usu rationis sint praediti, et absolutionis capaces: hoc colligendum est non ex sola aetate, sed multo magis ex ingenii, et educationis qualitate (post septennium regulariter esse solet praesumptio de usu rationis, non tamen sine frequenti exceptione). Signa rationis sufficientis sunt, juxta *Lessium* et *Gobat*, si sciant, quid eventurum sit male agentibus, quid bene agentibus: si discernant bonum et malum: si erubescant mentiando, vel impudica loquendo vel audiendo: si laudent obedientiam et pietatem: si peccata sua distincte explicent, bene percipiant propositas a Confessario quaestiones, et ad illas apte respondeant etc.

E contra signa defectus rationis sunt: si ingressi confessionale sileant, vel pueriliter tantum formulas quasdam ipsis inculcatas recitent: si ad omnes quaestiones affirmative respondeant, quamvis sint oppositae praecedentibus quaestionibus: si continuo respiciant ad ea, quae extra confessionale aguntur: si rosario vel pileo gesticulenter: si digitis fricent crates interjectas. *Secundo*, advertat, an credant necessaria necessitate medii. *Tertio*, an habeant verum dolorem et propositum. *Quarto*, si Confessarius advertat, non adesse sufficientem usum rationis, dimittendi sunt sine absolutione, impertita sola benedictione, et injuncta aliqua poenitentia, v. g. ut recitent semel iterumque orationem dominicam cum salutatione Angelica: praestat etiam semper elicere cum parvulis breviter actus fidei, spei et charitatis, ne sine fructu dimittantur. Si peccatum certum confiteantur, et sufficientia adsint signa rationis et doloris ac propositi, absolventi sunt: si maneat dubium de sufficienti rationis usu, nec habeant certum peccatum, pariter sine absolutione dimittendi sunt: si vero certum peccatum confiteantur, et dubium sit, an sufficienter agnoverint malitiam peccati, praemisso dolore et proposito, sub conditione poterunt absolvi, ne diutius gratia sacramentali carentes, gravius labantur. Denique si defectus sit ex parte examinis, Confessarius caute examen de levioribus instituat, v. g. an mentitus sit parvulus, an parentibus obedierit, an verbis iracundis et irreverentibus eos allocutus fuerit, an soleat irasci parentibus, sororibus etc., an in templo garrulus, irreverens fuerit, cum quibus soleat conversari domi, et in plateis; ex hac quaestione saepe produntur graviora peccata etc. etc.

767. IX. Confessarius adolescentum et juvenum si observet defectum ex parte examinis, caute interroget praecipue in materia castitatis: incipiat autem a magis ordinariis huic aetati peccatis, v. g. an parentibus obedierint, an sub Sacro garriverint, vel petulantias in templo exercuerint, oculis circumvagati sint, an mendacia dixerint, an cum malis sociis conversati sint, turpia cum iis locuti sint vel audierint, an pravis cogitationibus locum dederint, pecuniam parentum dilapidaverint, aut iis quid subtraxerint etc. etc.; exprimat quoque numerus; denique an otio sint dediti, negligant catecheses etc.

Secundo, his commendandae sunt potissimum quotidianae preces matutinae et vespertinae, frequens exercitium fidei, spei, et charitatis, et propositi nunquam Deum offendendi, idque ex timore et amore Dei, confessio, et communio saltem menstrua, fuga pravi consortii, obedientia et reverentia erga parentes et Superiores, constans devotio erga B. Virginem, et S. Angelum custodem etc.

Tertio, Bene attendat Confessarius, an dolorem eliciant ex motivo supernaturali, et non tantum verbo tenus, id quod facile cognoscere licebit

ex iis, qui citissime et peccata deblaterant, et obiter tantum dicunt, quod doleant.

Quarto, Adolescentibus tales poenitentiae sunt injungendae, quae sunt aptae vel ad bonam consuetudinem inserendam, vel ad malam extirpandam, v. g. examen vespertinum per octiduum, Sacro per aliquot dies devote intersint, illudque offerant ad certam gratiam, v. g. castitatis impetrandam, vel ad hoc illudve vitium extirpandum. Si lusui sint dediti, abstineant per plures determinatos dies; si parentes offenderint, ut petant veniam, vel compensent singulari reverentia etc.

Quinto, Sollicitos de electione status juvet Confessarius monendo, ut quotidie petant illustrationem Spiritus Sancti tum in precibus matutinis, tum in frequentioribus sacris communionibus, idque per intercessionem matris boni consilii B. Virginis Mariae, per S. custodem, et specialiter eligant in Patronum deliberantium sanctum Aloysium: praeterea moneat, si advertat aliquem impulsus ad certum statum, ut examinent vires tum corporis tum animi, an videantur sufficientes huic statui: explicet difficultates huic statui proprias, et commoda, ea inter se conferat, et videat, quid consideratis omnibus magis conducat ad suam salutem, et ad gloriam Dei: nec abs re erit, si ipse Confessarius saepius in sacrificiis missae memor sit clientis de eligendo vitae statu deliberantis.

768. X. Confessarius plebejorum et rudium circa accusationem peccatorum gravium praecipue sit sollicitus, ut exprimat numerus, quem plerumque illi negligunt: si haereant in enarratione peccatorum, juvet eos a peccatis internis ad peccata oris, et operis instituendo examen, v. g. an dederint locum cogitationibus iracundis contra proximum, turpibus etc.; an blasphemaverint Ss. Sacramenta irreverenter pronunciando, detraxerint, rixati sint; an falso juraverint; an mala hominibus vel pecoribus imprecati sint; an inimicitias, odia foverint etc.; an nulli damnum intulerint in agris, hortis, sylvis etc., an et quomodo diebus festis Sacro interfuerint; an cum altero sexu turpia conventicula, colloquia etc. habuerint etc. 2. Attendat, an verum sciant elicere dolorem, parati sint ad restitutionem, si necessaria fuerit; an odia, consuetudinem maledicendi, imprecandi deponere efficaciter velint. Cum iis rudibus, qui nullum omnino peccatum confitentur, saepe difficultas maxima occurrit; quia plerumque est prudens suspicio crassae ignorantiae, ideoque operae pretium erit, si Confessarius examinet rudem de scitu necessariis, et ordinarie inveniet defectum doctrinae christianae. Hinc vel prius instruendus est, vel sine absolutione dimittendus, donec addiscat necessaria: si advertat stupiditatem quamdam, saltem eliciat cum eo actum fidei, spei, charitatis, doloris, et propositi etc. Videantur dicta in P. 1. n. 355. et seq. Praesertim conetur Confessarius intelligere, an hebetudo vel stupiditas oriatur ex peccatis quibusdam, quae mentem obcoecant, ut sunt luxuria, ebrietas etc. Quo casu discrete erit examinandus de hisce vitiis; sic regulariter differatur absolutio, et prius abducatur a vitiis. Secus si hebetudo oriatur ex complexione naturali, cujus signum est, si talis ad temporalia quoque hebes sit, si ad quaevis interrogata inepte respondeat, si caeteroquin bonae voluntatis sit, nec male vivat; si autem in negotiis temporalibus solers, industrius, et satis dexter sit, suspicio est, quod hebetudo oriatur ex peccatis. Si quis ita stupidus esset, ut ad omnem instructionem ignorans persisteret, nec quicquam posset capere de fidei mysteriis, fatuo vel infanti comparandus esset. Denique si hebetudo oriretur ex senectute, senexque antea sciverit necessario credenda, expositis cognitis peccatis, et praemisso dolore ac proposito absolvi, et sacra communione refici poterit, etsi dubium sit, an in moderno statu sufficien-

ter penetret motiva fidei et doloris; si vero nunquam didicerit, laborandum, ut adhuc addiscat, quantum fieri potest, priusquam crescente senectute plane reddatur incapax.

769. XI. Plene fatuus non est capax absolutionis, quia non est capax actuum supernaturalium. Semifatuus saltem tunc potest absolvi, quando iudicatur habere actus ad poenitentiam necessarios; talis enim est capax peccati, et actuum supernaturalium. Signa, quod aliquis non sit plene fatuus, eadem praeter alia esse possunt, quae supra de pueris adnotavimus; subinde etiam quidam delirant in uno, et prudentes sunt in alio, et hi capaces sunt absolutionis. Si dubium sit, an quis plene vel semifatuus sit, disponendus est, quantum fieri potest, et saltem in articulo mortis sub conditione absolvi debet, imo et juxta graves AA. stante dubio, sub conditione absolvi potest in Paschate, ne si forte esset in statu peccati mortalis, anima periclitetur.

770. XII. Surdus tantum, et non simul mutus, si confiteatur peccata sua, et doleat de iis, debet absolvi, injuncta poenitentia, ostendendo rosarium, vel digitis determinando numerum orationum dominicarum, ita tamen ut alii non advertant, praesertim si gravior poenitentia esset injungenda: quando vero surdus esset examinandus de numero, vel specie peccatorum, vel de dolore, id fieri deberet in loco separato, et non coram aliis. Idem dicendum est de iis, qui gravius audiunt.

771. XIII. Similiter mutus, qui non est surdus, in loco separato juvandum est per interrogationes, ad quas ille per signa respondere poterit. In articulo mortis facilius praesumuntur signa esse sufficientia, v. g. gemitus, si percutiat pectus etc. Extra articulum mortis is, qui mutus factus est, postquam didicit scitu necessaria, absolvi non potest, nisi scripto vel signo se accuset, et det signa doloris. Si mutus possit scribere, ei suadendum est, ut per scripturam confiteatur, nisi per signa sufficienter possit exprimere peccata. Si nesciat scribere, possit autem per signa exprimere speciem et numerum peccatorum, ad hoc tenetur; si speciem peccati nullo signo possit exprimere, absolvi tamen poterit, modo in genere se peccatorem signo generali fateatur, quia impotentia talem excusat ab ulteriori confessione. Denique si talis sciat legere, examen in scripto posset ipsi proponi, et poenitentia pariter praescribi.

772. XIV. Si poenitens surdus simul et mutus sit, per signa examinandus est, et intellecto uno alterove peccato, cum signo doloris, poterit absolvi, eique praebenda est Eucharistia non tantum in articulo mortis, sed etiam tempore paschali, modo signis ostendat, se hunc cibum spiritualem a profano discernere. Ita *Holzmann* p. 3. n. 50. cum *Henrincx*, *La Croix*, et *Gobat*; tum quia in tali perfectior discretio sperari nequit, tum quia ejusmodi miseri maxime indigent hac corroboracione spirituali. Hinc ibidem addit, quod Confessarius, si advertat ejusmodi hominem esse praeditum discretionem non qualicumque, sed matura, possit eidem permittere et suadere, ut saepius, vel saltem in festis solemnioribus confiteatur, et ad sacram communionem accedat.

773. XV. Regulariter surdus et mutus, et simul caecus a nativitate habetur instar perpetuo amentis, et solius baptismi est capax. Vide dicta a n. 364. et seq. Si factus sit surdus, mutus, et caecus post usum rationis et instructionem, aut post frequentes confessiones et communiones, si det signa doloris, saltem in articulo mortis debet absolvi, imo et juxta *La Croix* L. 6. p. 2. n. 663. sacra communione pro viatico refici posset. Signa, per quae talis sufficienter prodit dolorem, sunt gemitus, percussio pectoris, vel si Confessarius prehensa aegroti manu percutiat ipsius pectus, et ipse aegrotus postea ultro percutiat pectus etc. Juxta *Lohmer* tali non Eucha-

ristia, sed sola extrema unctio dari posset: juxta alios, si talis certa alia doloris signa dare nequeat, adhuc posset absolvi sub conditione, si christiane vixerit.

774. XVI. Confessarius obligati ad restitutionem observet sequentia. *Primo*, Bene intelligat radices restitutionis, ut secure possit discernere, an adsit obligatio restituendi. De duplici radice egimus in P. I. a n. 772. usque ad n. 874., ex quibus breviter prae oculis habeat mensuram obligationis restituendi ortae *ex re aliena*, vel *ex injusta acceptione*. Mensura restitutionis faciendae *titulo rei acceptae* est *quantitas possessionis*, h. e. tantum quis debet restituere, quantum possidet ex re aliena, vel in se, vel in aequivalenti, sive quantum ex illa non amplius existente factus est ditior. Mensura autem restitutionis faciendae *titulo injustae acceptionis* est *quantitas damni illati*, scil. tantum debes restituere, quantum alter ex tua damnificatione *formaliter injusta* laesus est. Discrimen inter utramque obligationem est: ille, qui tenetur ad restitutionem tantum ex re aliena *bona fide* possessa, si res consumpta sit, perierit vel casu vel ex culpa, ita ut nec aequivalenter existat, aut is exinde factus non sit ditior, ultra ad nihil tenetur, ita ut cesset tota obligatio, nec teneatur ad fructus, nisi in se vel aequivalenter extantes, nec ad damnum connexum, nec ad lucrum cessans. Item possessor bonae fidei non tenetur ad restitutionem facta legitima praescriptione; e contra qui tenetur ad restitutionem ex injusta acceptione, tenetur tum ad rem, tum ad fructus perceptos, ad damna secuta, ad lucrum cessans, nec cessat obligatio, donec damnificatus restituatur plene in eum statum, in quo fuisset, si damnum hoc ei non fuisset illatum.

A restitutione bonorum excusaris,

Si capiat usu, eadem si sponte remittat
Debitor: aut illi sit compensatio facta:
Debitor si ignores: aut illi reddere possis
Non sine jactura famaeque, animaeque, statusque:
Si juste quidquam lusu, vel sorte parasti.

A restitutione famae excusaris,

Si fama obtenta est, et apertum oblitio crimen
Abstulit: aut rapta a laeso tibi fama vicissim est;
Si donet laesus, vel condonare putetur (al. videtur):
Reddere sique potens non sis, vel non sine damno
Majori: vel famam alia si laesus eandem
Perdidit ipse via, nihil illi reddere debes.

775. *Secundo*, observet Confessarius, quod damnificatio sine culpa theologica facta non trahat post se obligationem restitutionis ante sententiam judicis; eo quod talis damnificatio non sit voluntaria: supponitur enim facta sine advertentia ad laesionem juris alieni: ergo nec est injuriosa formaliter.

776. *Tertio*, sciat Confessarius sententiam vere ac solide probabilem hac in materia, v. g. quod leges noxales, ut vocant, non imponant obligationem restitutionis ante sententiam judicis, uti si animal alicujus sine culpa theologica domini intulerit damnum alteri, item quod probabiliter illam non imponant leges de contractibus. Eodem modo si dubia sit obligatio, vel casus difficilius occurrat, non erubescat Confessarius dicere poenitenti, ut post breve tempus redeat, donec rem penitius examinaverit, vel ut ipse poenitens alium virum doctum aseat. Interim si poenitens se ostendat paratum ad satisfaciendum suae obligationi, absolvi potest.

Quarto, si certa sit obligatio restituendi, et potens restituere difficilem se ostendat, doceri debet, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum: nec absolvendus est, donec plene velit restituere. Si opponat poenitens, quod sine jactura famae non possit restituere, ostendat modum, quo famae consulatur.

Quinto, qui in prioribus confessionibus monitus non restituit, ordinarie non est absolvendus, donec restituat: nec facile credat Confessarius poenitenti dicenti, quod non possit restituere, donec impotentiam efficaciter probet.

Sexto, sciat Confessarius causas excusantes a restitutione, de quibus in P. I. n. 782. et 785. egimus. Eadem observet Confessarius circa poenitentem obligatum ad restitutionem famae. Ubi vero poenitens ostenderit impotentiam restituendi, nihilominus exquirat Confessarius, an promptam habeat voluntatem restituendi, si posset; hac enim voluntate deficiente, deficit necessarium propositum.

777. XVII. Confessarius circa poenitentes variis tentationibus vexatos conetur agnoscere, unde oriuntur tentationes, an a corrupta poenitentis natura, an a daemone, an a vitiis assuetis, et continuo erigat animos tentatos, docendo, quod Deus permittat tentationes in bonum nostrum, scil. ad majus virtutum incrementum, ad augenda merita, veram animi pacem consequendam, quam parit frequens victoria, et quae nos daemone terribiles facit, et Deo fortius conjungit. Praeter media, quae suggestimus in P. I. ubi egimus de peccatis capitalibus, suadeat Confessarius *primo*, ut orta tentatione poenitens statim animo ad Deum confugiat, ejusque misericordiam imploret; oratio enim tanquam certum remedium a Christo proponitur: *Et ne nos inducas in tentationem*; item: *Orate, ut non intretis in tentationem*. Hinc orta tentatione tentatus se quasi vocari a Deo existimet ad probandam fidem ac fortitudinem: *Resistite fortes in fide*; Deum non tantum spectatorem, sed etiam adiutorem experietur. *Secundo*, opus est magna in Deum fiducia: *Omnia enim possum in eo, qui me confortat*: Deus omnipotens faciet potentiam in brachio suo. Si daemon pusillanimum advertat, magis insultat; e contra si advertat, se suasque suggestiones negligi ac contemni, spiritus superbus fugiet; ideoque fiduciae in Deum *tertio* jungatur humilitas, et certo aderit gratia vincens superbum: *Humilibus enim Deus dat gratiam, superbis autem resistit*. *Quarto*, ex humilitate tentatus aperiat patri spirituali tentationem; Satan enim nihil magis odit, quam machinationes suas in lucem protrahi. *Quinto*, juvat exercere virtutem oppositam vitio, ad quod vult impellere tentator: cavendum tamen, ne id perturbate, et cum nimia intensione virium fiat, alias vel tentatio augebitur, vel caput debilitabitur. Hinc *sexto* saepius praestat animum tantum convertere ad aliud objectum externum, vel ad honestam occupationem externam. Denique contemptus fortis maxime necessarius est ad suppressas cogitationes blasphemias, lascivas, haereticas etc. Nec facile permittendum examen, quod novas plerumque excitat tentationes. Objiciat continuo hosti infernali tentatus: Nolo offendere Deum; et hoc quidem sine altercatione cum hoste, sed, ut dixi, cum humilitate et fiducia.

778. Quae pertinent ad Confessarium scrupulosi habes in P. I. a n. 124. et seq. Cum foemineo vero sexu caute agat Confessarius tum extra, tum in confessionali: caveat ne ullo verbo vel signo prodat quidquam, quod possit movere suspicionem conscientiae minus purae. Universim, quoties cum altero sexu agendum, in Confessario paterna quaedam et spiritualis gravitas eluceat.